

Universitätsbibliothek Wuppertal

Annæi Senecæ Tvm Rhetoris Tvm Philosophi Opera Omnia

Quid in eo contineatur sequens pagina indicabit

Seneca, Lucius Annaeus <Rhetor>

M.DC.XLVI., 1646

Ad Neronem Cæsarem de clementia

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1509

eiis cogitas, siue de leuioribus, quantum est temporis que aut ille pena sua torqueatur, aut tu malum gaudium ex aliena percipias? Iam ipsum spiritum expuimus, interim dum trahimus. Dum inter homines sumus, colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo sumus: detrimenta, iniurias, conuicia, vellicationes contemnamus, & magno animo brevia feramus incommoda. Dum respicimus, quod aiunt, verlamusque nos, iam mortalitas aderit.



L. ANNÆI SENECAE

AD NERONEM CÆSAREM

DE CLEMENTIA.

LIBER PRIMVS.

CAPUT I.

Scribere de clementia, Nero Cæsar, institui: ut quodammodo speculi vice fungerer, & te tibi ostenderem, persuentur ad voluptatem maximam omnium. Quamvis enim recte factorum verus fructus sit fecisse, nec illum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit: iuuat tamen inspicere & circuire bonam conscientiam, tum immittere oculos in hac immensam multitudinem, discordem, seditionem, impotentem, in perniciem alienam suamque pariter exultaturam, si hoc ingum fregerit, & ita loqui secum: Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer: ego vita necisque gentibus arbiter: qualis quisque fortis statumque habeat, in manu mea positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronuntiat. Ex nostro responso lætitia cauſas, populi vrbesque concipiunt. Nulla pars vsquam, nisi volente propitioque me floret. Hæc ter millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum strigentur: quas nationes funditus excindi, quas transportari, quibus

bus libertatem dari quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumque capitii regium circundari decus oporteat, quæ ruant vibes, quæ oriantur, mea iurisdictio est. In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum & contumacia, quæ sœpe tranquillissimis pectoribus quoque patientiam extorsit: non ipsa ostendandæ per terrores potentiaz, dira, sed frequens magnis imperis gloria. Conditum, immo constrictum apud me fertum est. Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non, cui alia defint, hominis nomine apud me gratus est. Seueritatem abditam, clementiam in promptu habeo. Sic me custodio, tanquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus sim. Alterius ætate prima motus sum, alterius ultima. Alium dignitati donauui, aliud humilitati. Quotiens nullam inueneram misericordiæ causam, mihi pepercii. Hodie diis immortalibus, si à me rationem repeatant, annumerare genus humanum paratus sum. Potes hoc, Cæsar, prædicare audacter, omnium quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clam Reipub. eruptum. Rarissimam laudem, & nulli adhuc principum concessam concupisti, innocentiam. Non perdis operam: nec bonitas ista tua singularis, ingratis aut malignos æstimatores nacta est. Refertur tibi gratia. Nemo vnuis homo vni homini tam carus vñquam fuit, quam tu populo Romano, magnum longumque eius bonum. Sed ingens tibi onus imposuisti. Nemo iam diuum Augustum, nec Tiberij Cæsaris prima tempora loquitur: nec quod te imitari velit, exemplar extra te querit. Principatus tuus ad eum gustum quem dedisti exigitur. Difficile hoc fuisse, si non naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tempus sumpta. Nemo enim potest personam diu ferre. Ficta cito in naturam suam recidunt quibus veritas subest, quæque (ut ita dicam) ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque procedunt. Magnam adibat aleam populus Romanus, cum incertum esset, quo se statim nobilis indeoles daret. Iam vota publica in tuto sunt. Nec enim periculum est, ne te subita tui capiat obliuio. Facit quidem auidos nimia felicitas: nec tam temperatae cupiditates sunt v-

quam, ut in eo quod contigit desinant. Gradus à magnis ad maiora sit: & spes improbissima complectuntur insperata assecuti. Omnibus tamen nunc ciuib⁹ tuis & hæc confessio exprimitur, esse le felices: & illa, nihil tam his accedere bonis posse, nisi ut perpetua sint. Multa illos cogunt ad hanc confessionem, qua nulla in homine tardior est: securitas alta, affluens: ius supra omnem iniuriam positum. Obuersatur oculis letissima forma Reipubl. cui ad summam libertatem nihil deest, nisi pereundi licentia. Præciput tamen æqualis ad maximos imoꝝque peruenit clementia tua admiratio. Cetera enī bona pro portione fortunæ lux quisque sentit, aut expectat maiora minoraque: ex clementia omnes idem sperant. Nec est quisquam, cui tam valde innocentia sua placeat, ut non state in conspectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat.

CAP. II. Esse autem aliquos scio, qui clementia pessimum quemque putent sustineri: quoniam nisi post crimen superba est, & sola hæc virtus inter innocentes cessat. Sed primum omnium, sicut medicina apud ægros usus, etiam apud sanos honor est. ita clementiam quamvis peccata digni innocent, etiam innocentes colunt. Deinde habet clementia in persona quoque innocentium locum: quia interdum fortuna pro culpa est: nec innocentiae tantum clementia succurrat, sed saxe virtutis: quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam, quæ possint laudata puniri. Adiice, quod magna pars hominum est, quæ reuersti ad innocentiam possit. Sed non tamen vulgo ignoroscere decet. Nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur, & viciorum eruptio. Itaque adhibenda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abscessam. Nam tam omnibus ignoroscere crudelitas est, quam nulli. Modum tenere debemus. Sed quia difficile est temperamentum, quicquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præpondet. Sed hæc suo loco melius dicentur.

CAP. III. Nunc in tres partes omnem hanc materiam dividam. Prima erit manumissionis. Secunda, quæ naturam clementiae habitumque demonstrat. Nam cum siat vitia quædam virtutes imitantia, non possunt secreti, nisi

ni, nisi signa quibus dignoscantur impresseris. Tertio loco
queremus, quomodo ad hanc virtutem perducatur animus,
quomodo confimet eam, & vsu suam faciat. Nullam
vero ex omnibus virtutibus magis homini conuenire; cum
sit nulla humanior, constet necesse est: non solum inter
nos, qui hominem sociale animal, communis bono geni-
tum videri volumus: sed etiam inter illos, qui hominem
voluptati donant, quorum omnia dicta factaque ad utili-
tatem suam spectant. Nam si quietem petit & otium, hanc
virtutem naturae suae natus est, quae pacem amat, & ma-
nus retinet. Nullum tamen clementia ex omnibus magis;
quam regem aut principem decet. Ita enim virtutes ma-
gnis viris decori gloriaque sunt, si illis salutatis potentia
est. Nam pestifera vis est, valere ad nocendum. Illius de-
mum magnitudo stabilis fundataque est, quam omnes tam
supra se esse, quam pro se sciunt: cuius curam excubare
pro salute singulorum atque universorum quotidie expe-
riuntur: quo procedente, non, tanquam malum aliquod
aut noxiun animal è cubili prosliret, diffugiunt, sed tan-
quam ad clarum ac beneficium fidus certatim aduolant,
obiicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi,
& substernere corpora sua, si per stragem illi humanam
iter ad salutem stiuendum sit. Somnum eius nocturnis ex-
cubiis muniunt: latera obiecti circumfusique defendunt:
incurrentibus periculis se opponunt. Non hic est sine ra-
tione populis urbibusque consensus, sic protegendi aman-
dique reges, & se suaque iactandi, quocunque desiderauer-
it imperantis salus. Nec haec vilitas sui est aut demen-
tia, pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis
mortibus unam animam redimere, nonnunquam senis &
inualidi. Quemadmodum totum corpus animo deseruit,
& cum hoc tanto maius tantoque speciosus sit, ille in oc-
culo maneat tenuis, & in qua lede latitet incertus, tamen
manus, pedes, oculi negotium illi gerunt: illum haec cutis
munit: illius iussu iaceamus, aut inquieti discursumus: cum
ille imperavit: siue avarus dominus est, mare lucri causa
scrutamur, siue ambitious, iamduum dexteram flammis
obiecimus, aut voluntarie subfiluimus: si haec immensa
multitudo, unius animae circundata, illius spiritu regitur,
illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis

nisi consilio sustineretur.

CAP. IV. SVM itaque incolumentatem amant, cum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fronte procurrunt, & aduersa vulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa vertantur. Ille est enim vinculum per quod Respub. cohæret: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperij subtrahatur.

Rege incolumi mens omnibus una;

Amisso, rupere fidem.

Hic casus Romanæ pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas ager. Tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quam diu sciet ferre frænos: quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, hæc vnitas & hic maximi imperij contextus in partes multas dissiliat: idemque huic ribi dominandi finis erit, qui patendi fuerit. Ideo principes regesque & quoconque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari ultra priuatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica priuatis potiora sunt, sequitur, ut his quoque carios sit in quem se Resp. convertit. Olim enim ita se induit Reipubl. Cæsar, vt diduci alterum non possit sine vtriusque pernicie. Nam vt illi viribus opus est, ita & huic capire.

CAP. V. LONGIVS videtur recessisse à proposito oratio mea. At mēhercules rem ipsam premit. Nam si, quod adhuc colligitur, animus Reip. tu es, illa corpus tuum, vides, vt puto, quam necessaria clementia sit. Tibi enim parceris, cum videris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam improbandis ciuibus, non aliter quam membris languentibus. Et si quando missio sanguine opus est, sustinendum est, ne vltro quam necesse sit incidas. Est ergo vt dicebam, clementia omnibus quidem hominibus, secundum naturam, maximè tamen decora Imperatoribus: quanto plus habet apud illos quod seruet, quantoque in maiore materia appetet. Quantulum enim nocet priuata crudelitas? Principum sauitia bellum est. Cum autem virtutibus inter se sit concordia, nec vlla altera melior aut honestior sit: quædam tamen quibusdam personis aptior est. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam il-

lum,

rum infra quem nihil est. Quid enim maius, aut fortius, quam malam fortunam retundere? Hæc tamen in bona fortuna latiorem locum habet, meliusque in tribunalib[us] quam in plano conspicitur. Clementia in quamcunque domum peruerterit, eam felicem tranquillamque præstabit. Sed in regia quo rarior, eo mirabilior. Quid enim est mirabilius, quam eum, cuius itæ nihil obstat, cuius grauiori sententiae ipsi qui pereunt assentiuntur, quam nemo interrogaturus est, immo si vehementius excanduit nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum iniicete, & potestate sua in melius placidiusque vti, hoc ipsum cogitantem: Occidere contra legem nemo non potest: seruare nemo præter me. Magnam fortunam magnus animus decet: qui nisi se ad illam extulerit, & altior stetit, illam quoque infra terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse tranquillumque, & iniutias atque offendiones semper desplicere. Muliebre est, furere in ira. Feratum verò, nec generosarum quidem, præmordere & vrgere projectos. Elephantes leonesque transeunt quæ impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem suam, nec inexorablem iram. Non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat. At si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus & meritis, amittere facit quod nulli nisi rerum patienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur. Seruare proprium est excellenter fortunæ: quæ nunquam magis suspici debet, quam cum illi contingit idem posse quod diis, quorum beneficio in lucem edimut, tam boni quam mali. Deorum itaque sibi animum asserens princeps, alios ex ciuibus suis quia viles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquit, quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur.

CAP. VI. COGITATE in hac ciuitate, in qua turba per laufissima itinerâ sine intermissione desluens eliditur, quotiens aliiquid obstitit, quod cursum eius velut torrentis rapidi moraretur: in qua tribus eodem tempore theatris via postulatur, in qua coasumitur quicquid terris omnibus aratur, quanta solitudo, & vastitas futura sit si nihil relinquatur, nisi quod iudex seuerus absolverit. Quotus quisque ex quæstoribus est, qui non ea ipsa lege teneatur, qua querit? Quotus quisque accusator vacat culpa? Et nescio, an nemo

ad dandam veniam difficilior sit, quam qui illam petere sæpius meruit. Peccatum omnes: alij graua, alij leuiora, alij ex destinato, alij forte impulsi, aut aliena nequitia ablati; alij in bonis consilio parum fortiter stetimus, & innocentiam inuiti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, sed usque ad extreum æui delinquimus. Etiam si quis tam bene purgauit animum, ut nihil obturare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando peruenit.

CAP. VII. QVONIAM deorum feci mentionem, optimè hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se tales esse ciuibus, quales sibi deos velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expedit usque ad ultimam infesta pernicem? Equis rerum erit tatus, cuius non membra aruspices colligant? Quod si dij placabiles & æqui delicta potentium non statim fulminibus persequuntur: quanto æquius est hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperium, & cogitare, vtrum mundi status gratior oculis pulchriorque sit sereno & puro die, an cum frigoribus crebris omnia quatuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies est quieti moderatique imperij, quam sereni cœli & nitentis. Crudele regnum turbidum, tenebrisque obscurum est inter trementes & ad repentinum sonum expauescentes, nec eo quidem qui omnino conturbat in concusso. Facilius priuatis ignoscitur, pertinaciter se vindicantibus. Possunt enim lædi, dolorque eorum ab iniuria venit. Timent præterea contemptum: & non retulisse lædentibus gratiam infirmitas videtur, non clementia. At cui ultio in facilis est, si omessa ea, certam laudem mansuetudinis consequitur. Humili loco positis exercere manum, litigare, in rixam procurrere, ac morem iræ suæ gerere, liberius est. Leues inter paria iustus sunt. Regi vociferatio quoque verborumque intemperantia non ex maiestate est.

CAP. VIII. GRAVE putas, eripi loquendi arbitrium regibus, quod humillimi habent ista, inquis, seruitus est, non imperium. Quid tu? non experiris istud nobis esse, non tibi seruitum? Alia condicio est eorum, qui in turba, quam non excedunt, latent: quorum & virtutes ut apparent, diu

JUSTAN-

luctantur, & vitia tenebras habent. Vesta facta dictaque rumor excipit : & ideo nullis magis cauendum est, quam famam habeant, quam qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sunt. Quam multa tibi non licent, quæ nobis beneficio tuo licent ? Possum in qualibet parte urbis solus incedere sine timore , quamuis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius : tibi in tua pace armato viuendum est. Aberrare à fortuna tua non potes. obsidet te , & quoctunque descendis magno apparatu sequitur. Et hæc summa magnitudinis seruitus est, non posse fieri minorem ; sed cum diis tibi communis ista necessitas est. Nam illos quoque cæcum alligatos tenet : nec magis illis descendere datum est , quam tibi : Fastigio tuo affixus es. Nostros motus pauci sentiunt. Prodire nobis, ac recedere , & mutare habitum sine sensu publico licet: tibi non magis quam soli latere contingit. Multa contra te lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt. Prodire te putas? oritis : loqui non potes, nisi ut vocem tuam quæ vbi- que sunt gentes excipient. Irasci non potes, nisi ut omnia tremant. Sic neminem potes affligere, nisi ut quicquid circa fuerit, quaeratur. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu : sic animaduersiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent: non sine causa. Non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit cogitatur, in eo qui omnia potest. Adiice nunc, quod priuatos homines ad accipiendas iniurias opportuniiores, acceptarum patientia facit : regibus certior est ex mansuetudine securitas. Quia frequens vindicta paucorum odium reprimit , omnium irritat : voluntas oportet ante scuendi, quam causa deficiat. Alioquin quemadmodum præcisæ arbores plurimi ramis repullulant, & multa satorum genera ut densiora surgant, reciduntur : ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum qui interficti sunt , & propinquai, & amici in locum singulorum succedunt. Hoc quam verum sit admonere te exemplo domestico volo.

CAP. IX. Divus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum à principatu suo estimare incipiat: in communi quidem Rep. cum hoc ætatis esset, quod tu nunc es, duodecimimum egressus annum, iam pugiones in fini amicorum

absconderat, iam insidiis M. Antonii consulis latus petierat, iam fuerat collega proscriptio[n]is: sed cum annum quadragesimum transiisset, & in Gallia moraretur, delatum est ad eum indicium. L. Cinnam stolidi ingenij virum insidias ei struere. Dicunt est & vbi, & quando, quemadmodum aggredi vellet. Vnus ex consciis deferebat. Constituit se ab eo viudicare. Consilium amicorum aduocati iussit. Nox illa inquieta erat, cum cogitaret adolescentem nobilem, hoc detracto, integrum, Cn. Pompeij nepotem, damnandum. Iam vnum hominem occidente non poterat: cum M. Antonio proscriptio[n]is edictum inter cœnam dictaratur. Gemens subinde voces varias emittebat, & inter se contrarias. Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar, me sollicito? Ergo non dabit poenæ, qui tot ciuilibus bellis frustra peritum caput, tot naualibus, tot pedestribus præliis incolume, postquam terra mari- que pax parra est, non occidere constitutæ, sed immolare? Nam sacrificantem placuerat adoriri: Rursus silentio interposito, majore multo voce, sibi, quam Cinnæ irasceretur. Quid viuis, si perire te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? Quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuant, Non est tanti vita, si, vt ego non peream, tam multa perdenda sunt. Interpellavit tandem illum Liuia vxor. Et admittit, inquit, muliebre, consilium? Fac quod medici solent: qui vbi vñitate remedia non procedunt, tenent contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti: Saluidienum Lepidus secutus est, Lepidum Muræna, Murænam Cæpio, Cæpiō nem Eganius, vt alios raseam, quos tantum zufos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinnæ qui deprehensus est, iam nocere tibi non potest, prodesse famæ tuæ potest. Gauisus sibi quod aduocatum inuenerat, uxori quidem gratias egit: renuntiari autem ex templo a[n]ticipis, quos in consilium rogauerat, imperauit, & Cinnam vnum ad se accersit: dimissaque omnibus è cubiculo, cum alteram Cinnæ ponì cathedram iussisset: Hoc, inquit, pri- mum à te peto ne me loquentem interpellas, ne meo ser- mone medio proclames: dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinnæ, cum in hostium castris inuenissem non factum tantum mihi inimicum, sed natum ser- uavi,

uanii, patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix es, & tam diues, vt victo victores inuident. Sacerdotium tibi petenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerant, dedi. Cum sic de te meruerim, occidere me constituisti. Cum ad hanc vocem exclamasset, procul hanc ab se abesse dementiam: Non præstas, inquit, fidem, Cinna: conuenerat ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras, adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiatum: cui commissum esset ferrum. Et cum defixum videret, nec ex conuentione iam, sed ex conscientia tacentem: Quo, inquit, hoc animo facis? Ut ipse sis princeps? Malè mehercule cum Republica agatur, si tibi ad imperandum nihil præter me obstat. Domum tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia, in privato iudicio superatus es. Adeo nihil facilius potes, quam contra Cæsarem aduocare? Cedo, si spes tuas solus impedio, Paulus ne te, & Fabius Maximus, & Cossi, & Servilij ferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina præferentium, sed eorum qui imaginibus suis decotii sunt? Ne totam eius orationem repetendo, magnam partem voluminis occupem: diutius enim quam duabus horis locutum esse constat, cum hanc poenam, qua sola erat contentus futurus, extenderet: Vitam, tibi, inquit, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac particidæ. Ex hodierno die, inter nos amicitia incipiat. Contendamus utrum ego meliore fide vitam tibi derim, antu debeas. Posthæc detulit ultro consulatum, questus, quod non auderet petere. Amicissimum fidelissimumque habuit heres solus fuit illi. Nullis amplius insidiis ab illo petitus est.

CAP. X. IGNORIT abarus tuus victis. Nam si non ignouisset, quibus imperasset? Sallustium, & Cocceios & Duillios, & totam cohortem primam interioris admisionis ex aduersariorum castris conscripti. Nam Domitios, Messallas, Asinios, Cicertones, & quicquid floris erat in ciuitate, clementiæ suæ debebat. Ipsum Lepidum quam diu mori passus non est? Per multos annos tulit ornamenta principis retinentem: & Pontificatum maximum, non nisi mortuo illo, transferri in se passus est. Maluit enim illum honorem vocari, quam spolium. Hæc eum clementia ad salutem securitatemque oerduxit: hæc gratum ac

favorabilem reddidit, quamuis nondum subactis Reipub; ceruicibus manum imposuisset. Hæc hodieque præstat illi famam, quæ vix viuis principibus seruit. Deum esse non tanquam iussi credimus, bonum principem Augustum, & bene illi conuenisse parentis nomen, fatemur: ob nullam aliam causam quam quod contumelias quoque suas, quæ acerbiores principibus solent esse, quam iniuriaz, nulla crudelitate exequebatur: quod probrofis in se dictis arrisit: quod dare illum penas apparebat, cum exigeret, quod quoscunque ob adulterium filia suæ damnauerat, adeo non occidit, ut dimissis, quo tutiores essent, diplomata daret. Hoc est ignoscere, cum scias multos futuros qui pro te irascantur, & tibi alieno sanguine gratificantur: non dare tantum salutem, sed præstare.

CAP. XI. Hæc Augustus senex, aut iam in senectu-
tem annis vergentibus. In adolescentia caluit: arsit ira:
multa fecit, ad quæ inuitus oculos retorquebat. Compa-
xare nemo mansuetudini tuæ audebit diuum Augustum,
etiam si in certamen inuenit annorum deduxerit se-
nectutem plus quam maturam. Fuerit moderatus & cle-
mens: nempe post mare Actiacum Romano cruento infe-
ctum, nempe post fractas in Sicilia classes, & suas & alic-
nas: nempe post Perusinas aras & proscriptiones. Ego ve-
ro clementiam non voco lassam crudelitatem. Hæc est,
Cæsar, clementia vera, quam tu præstas, quæ non sauitia
penitentia coepit: nullam habere maculam, nunquam ci-
uilem sanguinem fudisse. Hæc est in maxima potestate, ve-
rissima animi temperantia, & humani generis incompre-
hensibilis amor, non cupiditate aliqua, non temeritate incen-
di, non priorum principum exemplis corruptum, quantu-
m in eives suos liceat, experiencing tentare, sed hebera-
re aciem imperij sui. Præstitisti, Cæsar, ciuitatem incriuen-
tam, & hoc quod magno animo gloriatus es, nullam te
toto orbe stillam crutoris humani misisse: eo maius est mi-
zabilissime, quod nulli vñquam citius gladius commissus
est. Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutio-
res præstat: ornamentumque imperiorum est simul cer-
tissima salus, cum reges consenserint, liberisque ac nepo-
tibus tradiderint regna: tyrannorum execrabilis ac brevis
potestas est. Quid inter est inter tyrannum & regem? spe-
cies

cies enim ipsa fortunæ ac licentia pars est, nisi quod tyran-
ni ex voluptate lœuiunt, reges non nisi ex causa ac nece-
ssitate.

CAP. XII. Quid ergo? non reges quoque occidere
solent? Sed quotiens id fieri publica utilitas persuadet. Ty-
rannis lœuitia cordi est. Tyrannus autem à rege distat fa-
ctis, non nomine. Nam & Dionysius maior iure merito-
que præferri multis regibus potest. Et L. Syllam appellari
tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia
hostium? Descenderit licet è dictatura sua, & se togæ red-
diderit: quis tamen vñquam tyrannus tam aride huma-
num sanguinem bibt, quam ille, qui septem millia ciuium
Romanorum contrucidari iussit? Et cum in vicino ad æ-
dem Bellonæ sedens exaudisset conclamationem tot mil-
lium sub gladio gementium, exterrito senatu: Hoc aga-
mus, inquit, P. C. Seditiosi pauculi meo iusu occiduntur.
Hoc non est mentitus: pauci, Syllæ videbantur. Sed mox
de Sylla consequemur, quomodo hostibus irascendum sit:
vtique si in hostile nomen ciues, & ex eodem corpore ab-
rupti transierint. Interim hoc quod dicebam, clementia
efficit, vt magnum inter regem tyrannumque discrimen
sit: vterque licet non minus armis valletur, sed alter arma
habet, quibus in munimentum pacis vtitur; alter, vt ma-
gno timore magna odia compescat. Nec illas ipsas manus
quibus se commisit, securus aspicit. Contraria in contraria
agitur. Nam & iniuisus est, quia timetur; & timeri vult, quia
iniuisus est: & illo execrabilis versu, qui multos dedit præci-
pites, vtitur:

Oderint dum motuant:

ignarus quanta rabies oriatur, vbi supra modum oda cre-
uerunt. Temperatus enim timor cohibet animos; assiduus
vero & acer, & extrema admouens, in audaciam iacentes
excitat, & omnia experiri suadet. Si feras lineis & pinna
clusas contineas: easdem à tergo eques telis incessat: ten-
tabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabuntque
formidinem. Acerima virtus est, quām ultima necessi-
tas extundit. Relinquit oportet securi aliquid metus,
multoque plus spei quam periculorum ostentet. Alioquin
vbi quiescenti paria metuuntur, incurtere in pericula iu-
nat, & aliena anima abuti. Placido tranquiloque regi si-

da sunt auxilia, quibus ad communem salutem vtantur. Gloriosusque miles (publicæ enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, vt parentis custos. At illum acerbum & sanguinarium necesse est grauentur stipatores sui.

CAP. XIII. NON potest habere quisquam bonæ ac fidæ voluntatis ministros, quibus in tormentis & eculeo, & ferramentis ad mortem paratis vtitur, quibus non aliter quam bestiis homines obiectat, omnibus reis noxior ac follicitor, vt qui homines deosque testes ac vindices facinorum timeat, eo perductus, vt non liceat illi mutare mores. Hoc enim inter cetera vel pessimum habet crudelitas: perseuerandum est, nec ad meliora patet regressus. Scelerata enim sceleribus tuenda sunt. Quid autem eo inferius, cui iam esse malum necesse est? O miserabilem illum! sibi certe, nam ceteris misereri eius nefas sit, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit, tam externa quam domesticæ cum arma metuat, ad arma configiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui vbi circumspexit quæque fecit, quæque facturus est, & conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaptaverit, sæpe mortem timet, sæpius optat, iniurior sibi quam seruientibus. E contrario is cui curæ sunt vniuersa, quamquam alia magis, alia minus tuerit, nullam non Republicæ partem tanquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora, etiam si ex vnu est animaduertere ostendens quam inuitus aspero remedio manus admoueat, in cuius animo nihil hostile, nisi efferrum est. Qui potentiam suam placide ac salutariter exerceat, approbate imperia sua ciuibus cupiens. Felix abunde sibi viuis, si fortunam suam publicauerit, sermone assabilis accessuque facilit, vultu qui maximè populos demeretur, amabilis, æquis defideris propensus, & iniquis acerbus, à tota ciuitate amat, defenditur, colitur. Eadem de illo homines secreto loquuntur, quæ palam. Tollere filios cupiunt, & publicis malis sterilitas inducta recluditur. Bene se meritur de libris suis quisque non dubitat, quibus tale saeculum ostenderit. Hic princeps suo beneficio tutus, nihil præsidii eger, arma ornamenti causa habet.

CAP. XIV. QVOD ergo officium eius est? quod bonorum

norum parentum : qui obiurgare liberos nonnunquam blandè , nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Nunquid aliquis sanus filium ad primam offensam exhäuserat? nisi magnæ & multæ iniuriæ patientiam euicetint, nisi plus est quod timet, quam quod damnat , non accedit ad decretorium stylum. Multa ante tentat , quibus dubiam indolem & peiore loco iam positam reuocet: simul deplorata est, ultima experitur. Nemo ad supplicia exigenda peruenit , nisi qui remedia consumpsit. Hoc quod parenti , etiam principi faciendum est: quem appellauimus patrem patriæ , non adulacione vana adducti. Cætera enim cognomina honori data sunt. Magnos & Felices & Augustos diximus , & ambitiosæ maiestati quicquid potuimus titulorum congesimus , illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriæ appellauimus , ut sciret datam sibi potestatem patriam : quæ est temperassisima, liberis consulens , suaque post illos ponens. Tarde si bi pater membra sua abscondat: etiam cum abscederit , reponere cupiat : & in abscondendo gemat , cunctatus multum diuque. Prope enim est ut libenter damnet , qui citos Prope ut inique puniat, qui nimis. Erixonem equitem Romanum , memoria nostra , qui filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confudit. Vix illum Augusti Cæsar is auctoritas infestis tam patrum quam filiorum manibus eripuit.

CAP. XV. T. A R I V M qui filium deprehensum in parricidio , exilio damnavit causa cognita , nemo non suscepit quod contentus exilio , & exilio delegato Massiliæ, parricidam continuit , & annua illi præstítit , quanta præstatre integro solebat. Hæc liberalitas effecit, ut in qua ciuitate nunquam deest patronus peioribus , nemo dubitat, quin reus merito damnatus esset, quem is pater damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exemplo dabo , quem compares bono patri bonum principem. Cognitus de filio T. Arius , aduocauit in consilium Cæsarem Augustum. Venit in priuatos penates. Assedit, pars alieni consilij fuit. Non dixit : Immo in meam domum veniat. Quod si factum esset, Cæsar is futura erat cognitio, non patris. Audita causa excusisque omnibus & his quæ adolescens pro se dixerat , & his quibus arguebatur,

petit ut sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quæ Cæsaris fuisset. Deinde priusquam apertirentur codicili, iurauit se T. Atij hominis locupletis hereditatem non aditum. Dicit aliquis, pufillo animo. Timuit, ne videretur locum spei sua aperire velle, filij damnatione. Ego contra sentio. Quilibet nostrum debuisset aduersus opiniones malignas satis fiducia habere in bona conscientia. Principes multa debent etiam fama dare. Iurauit se non aditum hereditatem. Atius quidem eodem die & alterum heredem perdidit, sed Cæsar libertatem sententiæ suæ redemit: & postquam approbavit gratuitam esse seueritatem suam, quod principi semper curandum est, dixit, relegandum quo patri videretur. Non culeum, non serpentes, non carcere decrevit; memor non de quo censeret, sed, cui in consilio esset. Mollissimo genere pœnæ contéatum esse debere patrem dixit in filio adolescentulo, īmpulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia, timidè gesuisset: debere illum ab irbe & à parentis oculis submoueri.

CAP. X VI. O dignum quem in consilium patres aduocarent! o dignum quem coheredem innocentibus liberis scriberent! Haec clementia principem decet, ut quo-cunque venerit, mansuetiora omnia faciat. Nemo regit am vilis sit, ut illum perire non sentiat, qualisunque pars imperii est. In magna imperia ex minoribus petitus exemplum. Non est unum imperandi genus. Imperat princeps ciuibus suis, pater liberis, præceptor discentibus, tribunus vel centurio militibus. Nonne pessimus pater videbitur, qui assiduis plagiis liberos etiam ex levissimis causis compescet? Vter autem præceptor liberalibus studiis dignior, qui excartniscat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus hæserit: an qui monitionibus & verecundia emendare ac docere malit? Tribunum centurionemque da saevum: desertores faciet? quibus tamen ignoscitur. Nanquidnam æquum est, grauius homini & durius imperari, quam imperiatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterrit domandi petitus magister. Fiet enim formidolosus & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Idem facit venator, qui instituit catulos vestigia sequi,

qui-

quiique iam exercitatis vtitur ad excitandas vel persequendas feras. Nec crebro illis minatur: contunditur enim animus, & quicquid est indolis, comminuitur trepidatione degeneri: nec licentiam vagandi errandique passim concedit. Adiicias his licet, tardiora agentes iumenta: quæ cum ad contumelias & miseras nata sint, nimia sævitia co-guntur iugum detrectare.

CAP. XVII. NVLVM animal morosius est, nullum maiore atte tractandum, quam homo. Nulli magis par-cendum. Quid enim stultius, quam in iumentis quidem & canibus erubescere iram exercere; pessima autem condicione hominem esse? Morbis medemur, nec irascimur. Atqui & morbus animi mollem medicinam desiderat, i-psumque medentem minime infestum ægro. Mali medici est, desperare, ne curet. Idem in his, quorum animus affectus est, facere debet cui credita salus omnium est, non cito spem proiicere, nec mortifera signa pronuntiare. Lu-eterut cum vitiis, resistat, aliis morbum suum exprobret, quosdam molli curatione decipiat, citius meliusque sanaturus, remediis fallentibus. Agat princeps curam, non tan-tum salutis, sed etiam honestæ cicatricis. Nulli regi gloria est ex sæua animaduerfione. Quis enim dubitat posse? At contra maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem suæ impendit.

CAP. XVIII. SERVIS imperare moderate, laus est: & in mancípio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captiuis & pretio paratis iubet. Quanto iustius hominibus liberis, ingenuis, honestis, non vt mancipiis abuti, sed his quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita seruitus sed tutela? Seruis ad statuam licet confugere. Cum in seruum omnia licent, est aliquid quod in hominem licere commune ius vetet. Quis non Vedium Pollionem peius oderat, quam serui sui, quod murænas sanguine humano saginabat: & eos qui se ali-iquid offenderant, in vivarium, quid aliud quam serpentibus obiici iubebat? O hominem mille mortibus dignum: siue deuorandos seruos obiiciebat murænis, quas usurpus erat; siue in hoc tantum illas alebat, vt sic aleret! Quem-adjmodum domini crudeles tota ciuitate commonistran-

tur, iniisque & derestabiles sunt: ita regum & iniuria lac-
tius patet & infamia, atque odium sœculis traditur. Quan-
to autem non nasci melius fuit, quam numerari inter pu-
blico malo natos?

C A P. XIX. EXCOGITARE nemo quicquam poter-
at, quid magis decorum regenti sit, quam clementia: quo-
cunque modo is, & quoconque iute præpositus ceteris
erit. Eo scilicet formosius id esse magnificenterque fate-
bimur, quo in maiori præstabitur potestate: quam non o-
portet noxiā esse sed natura legem compositam. Natu-
ra enim commenta est regēm: quod & ex aliis animalibus
licet cognoscere: & ex apibus: quarum regi amplissimum
cubile est, medioque ac tutissimo loco. Præterea onere
vacat, exactior alienorum opertum: & amissō rege, totum
dilabitur examen. Nec vñquam plus vnum patiuntur,
melioreisque pugna querunt. Præterea insignis regis
forma est, dissimilis ceteris, tum magnitudine, tum nitore.
Hoc tamen maxime distinguitur, iracundissimæ, ac
pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in
vulnere relinquunt: rex ipse sine aculeo est. Noluit il-
lum natura nec sauum esse, nec vñctionem magno consta-
turam petere: telumque detraxit, & iram eius inermem
reliquit. Exemplat hoc magnis regibus ingens. Esterim
illi mos, exercere se in patuis, & ingentium terum docen-
tura minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non
trahere mores: cum tanto hominum moderatior esse ani-
mus debeat, quanto vehementius nocet. Vñnam quidem
eadem homini lex esset: & ira cum telo suo frangeretur:
nec saepius liceret, nocere quam semel, nec alienis viribus
exercere odia. Facile enim lassaretur furor, si per se sibi sa-
tisfaceret, & si mortis periculo vim suam effunderet. Sed
ne nunc quidem illi cursus tutus est. Tantum enim neces-
se est, timeat, quantum timeri voluit: & manus omnium
obseruet, & eo quoque tempore quo non captatur, peti-
se iudicet, nullumque momentum immune à metu habeat.
Hanc aliquis ægram vitam sustinet, cum liceat innoxium,
atque ob hoc securum, salutarem potentiam, læris omnibus
tractare? Error enim, si quis existimat totum esse ibi re-
gem, vbi nihil à rege tutum est. Securitas securitate mutua
pacifica est. Nō opus est instruere in altum editas arcas,

nec

nec in ascensum arduos colles emunire , nec latera montium abscindere , multiplicibus se muris turribusque septe-
re. Saluum regem in aperto clementia præstabit. Vnum
est inexpugnabile munimentum, amor ciuium. Quid pul-
chrius est , quam viuere optantibus cunctis , & vota non
sub custode nuncupantibus ? Si paulum valetudo tituba-
uit, non spem hominum excitari, sed metum ? Nihil esse
cuiquam tam preciosum, quod non salute præsidis sui com-
mutatum velit ? Omne quod illi contingit , sibi quoque
euenire deputet ? In hoc assiduis bonitatis argumentis pro-
bavit, non Remp. suam esse, sed se Reipublicæ. Quis huic
audeat struere aliquod periculum ? Quis ab hoc non, si pos-
sit, fortunam quoque auertere velit , sub quo iustitia , pax,
pudicitia, securitas, dignitas, florent ; sub quo opulenta ci-
uitas , copia bonorum omnium abundat ? Nec alio animo
rectorem suum intuetur , quam si dij immortales potesta-
tem visendi sui faciant , intueremur venerantes colentes-
que. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui
se ex deorum natura gerit, beneficus ac largus & in melius
potens ? Hoc affectare , hoc imitari decet : Maximum ita
haberi, ut optimus simul habeatur.

CAP. X. DVA VS de causis punire princeps solet, si
aut se vindicat, aut aliū. Prius de parte differam , quæ
ipsum contingit. Difficilius est enim moderari , vbi dolori
debetur vltio , quam vbi exempla. Superuaguum est hoc
loco admonere, ne facile credat, ut verum excutiat, ut in-
nocentiae faueat, ut appareat , non minus rem agi periclit-
antis, quam iudicis. Hoc ad iustitiam, non ad clementiam
pertinet. Nunc illum hortamur , ut manifeste lœsus , ani-
mum in potestate habeat : & poenam , si tuto poterit , do-
net : si minus, temperet : longeque sit in suis, quam in alienis
exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum non est mag-
ni animi qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alte-
xi donat, sibi detrahit : Ita clementem vocabo, non in alieno
dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagite-
tur, non profilit; qui intelligit magni animi esse, iniutias in
summa potentia pati , nec quicquam esse glorioius princi-
pe impune lœso.

CAP. XXI. VLTIO duas res præstare solet : aut sola-
tium afferit ei qui accipit injuriam , aut in reliquum securi-

tatem Principis maior est fortuna, quam ut tali solatio e-
geat manifestiorque vis, quam ut alieno malo opinionem
sibi virium querat. Hoc dico, cum ab inferioribus patitus
violatusque est. Nam si, quos pares aliquando habuit, in-
fra se videt, satis vindicatus est. Regem & seruus occidit,
& serpens, & sagitta. Seruauit quidem nemo, nisi maior
eo quem seruauit. Vti itaque animose debet tanto mune-
re deorum, dandi auferendique vitam potens: in his pre-
sertim, quos scit aliquando suo fastigio obstitisse: hoc ar-
bitrium adeptus, vltionem impleuit, perfecitque quantum
veræ peccæ satis erat. Perdidit enim vitam qui debet: &
quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus, alienam de ca-
pite suo sententiam expectauit, in seruatoris sui gloriam
viuet, plusque nomini eius conferet in columis, quam si ex
oculis ablatus esset. Assiduum enim spectaculum alienæ
virtutis est: in triumpho, cito transisset. Si vero regnum
quoque suum tuto relinqui apud eum potuit, reponique
eo vnde deciderat, ingenti incremento surgit laus eius,
qui contentus fuit, ex rege victo nihil præter gloriam su-
mire. Hoc est etiam ex victoria sua triumphare, testari-
que, nihil se quo dignum esset victore, apud victos inue-
nisse. Cum ciuibus & ignosis atque humilibus eo mode-
ratus agendum est, quo minoris est affixisse eos. Quibus-
dam libenter parcas: quibusdam te vindicare fastidias, &
non aliter quam ab animalibus paruis & obterentem in-
quinantibus, reducenda manus est. At in iis qui in ore ci-
uitatis seruati puniique erunt, occasione notæ clementiae
vtendum est.

C A P. XXI. TRANSEAMVS ad alienas iniurias: in
quibus vindicandis hæc tria lex secuta est, quæ princeps
quoque sequi debet: aut ut eum quem punit, emendet: aut
ut pena eius ceteros meliores reddat, aut sublati malis
securiores ceteri viuant. Ipsos facilius emendabis mino-
re pena. Diligentius enim viuit, cui aliquid integri su-
perest. Nemo dignitati perditæ parcit. Impunitatis genus
est, tam non habere peccæ locum. Ciuitatis autem mores
magis corrigit parcitas animaduersiorum. Facit enim
consuetudinem peccandi multitudo peccantium. Et mi-
nus grauis nota est, quam turba damnatorum leuat: & se-
ueritas, quod maximus remedium habet, assiduitate
amittit,

amittit, auctoritatem. Constituit bonos mores ciuitati principis, & via eius facilius compescit, si patiens eorum est, non tanquam prober, sed tanquam inuitus, & cum magno tormento ad castigandum veniat. Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. Grauior multo pena videtur quæ à miti viro constituitur. Præterea videbis ea sæpe committi, quæ sæpe vindicantur.

CAP. XXIII. PATER tuus plures intra quinquennium culco insuit, quam omnibus sæculis insitos accepimus. Multo minus audebant liberi nefas ultimum admettere, quamdiu sine lege crimen fuit. Summa enim prudencia altissimi virti, & rerum naturæ peritissimi maluerunt, velut incredibile scelus, & ultra audaciam positum, præfere, quam dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaq; parcidæ cum lege coepерunt, & illis facinus pena monstrauit. Pessimo loco pietas fuit, postquam sæpius culcos vidi-mus, quam cruces. In qua ciuitate rato homines puniuntur, in ea consensus fit innocentia, & indulgetur velut publico bono. Puret te innocentem ciuitas erit. Magis irascitur à communi frugalitate desciscientibus, si paucos eos esse viderit. Periculosem est, mihi crede, ostendere ciuitati, quanto plures mali sint.

CAP. XXIV. IN senatu dicta est aliquando sententia, ut seruos à liberis cultus distingueret. Deinde apparuit, quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos coepissent. Idem scito metuendum est, si nulli ignoscitur. Cito apparet, pars ciuitatis deterior quanto prægrediatur. Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera. Remissius imperanti, melius paretur. Natura contumax est humanus animus; & in contrarium atque arduum nitens; sequiturque facilius quam ducitur. Et ut generosi atque nobiles equi, melius facili fræno reguntur; ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, & dignam putat ciuitas, quam seruet sibi. Plus itaque hac via proficitur. Crudelitas maxime humanum malum est: indignum tam miti animo. Ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac vulneribus: & abiecto homine, in illestre animal transire.

CAP. XXV. Quid enim interest, oro te Alexander, iconi Lysimachum obliicas, an ipse laceres dentibus
hh

tuis? Tuum illud os est, tua illa feritas. O quam cuperes tibi potius vngues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem. Non exigimus à te, vt manus ista, exstinctum familiarium certissimum, vlli salutaris sit: vt iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem cædemque satietur. Clementia vocatur, si ad occidendum amicum, carnifex inter homines eligitur. Hoc est, quare vel maximè abominanda sit seutitia, quod excedit fines, primum solitos, deinde humanos. Noua supplicia conquirit, ingenium aduocat, instrumenta excogitar, per quæ varietur atque extendatur dolor: & delectatur malis hominum. Tunc ille dirus animi morbus ad infaniam peruenit ultimam, cum crudelitas versa est in voluptatem: & iam occidere hominem iuuat. Nam talen virum à tergo sequitur eueratio, odia, venena, gladii: tam multis periculis pertinet, quam multorum ipse periculum est: priuatisque non-nunquam consiliis, alias vero consernatione publica circumuenitur: Lewis enim & priuata pernicies non totas urbes mouet. Quod late furere coepit, & omnes appetit, vndique configitur. Serpentes parvulae fallunt, nec publice consequuntur: vbi aliqua solitam mensuram transit, & in monstrum excrevit, vbi fontes potu infecit, & sufflatu deuirit, obteritque, quacunque incessit ballistis peritur. Possunt verba dare & euadere pusilla mala: ingentibus obuiam itur. Sic vnu xeger, nec domum quidem perturbat: at vbi crebris mortibus pestilentiam esse apparuit, conclamatio cunctatis ac fuga est, & diis ipsis manus intenduntur. Sub uno aliquo tecto flamma apparuit: familia viciniq; aquam ingerunt. At incendium vastum, & multas iam domos depastum, parte urbis obruitur.

CAP. XXVI. CRUDELITATEM priuatorum seruiles quoque manus sub certo crucis periculo ultæ sunt: Tyrannorum, gentes populique, & quorum erat malum, & hi quibus imminebat, excidere aggressi sunt. Aliquando sua praefidia in ipsos consurrexerunt, perfidiamque & impietatem, & feritatem, & quicquid ab illis didicerant, in ipsos exercuerunt. Quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem malum esse docuit? Non diu patet nequitia, nec quantum iubetur, peccat. Sed puta tutam esse crudelitatem: quale eius regnum est? Non aliud quam caputum

ptarum vrbium forma, & terribiles facies publici metus. Omnia mœsta, trepida & confusa. Voluptates istæ timentur. Non coniuia secura inueniunt, in quibus lingua sollicitè etiam ebris cultodienda est: non spectacula, ex quibus materia criminis ac periculi queritur. Apparentur licer, magna impensa & tegiis opibus, & artificum exquisitis nominiibus: quem tamen è ludo in carcere ire iuuet? Quid istud, dij boni, malum est, occidere, sequire, delectari sono citharanum, & ciuium capita decidere, quoconque ventum est multom sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? Quæ alia vita esset, si leones vrsique regnarent? Si serpentibus in nos, ac noxiissimo cuique animali daretur potestas? Illa rationis expertia, à nobis immanitatis criminé damnata, abstinent suis: & tuta est etiam inter feras similitudo. Apud homines tantum nec à necessariis quidem rabies temperat sibi, sed externa suaque in æquo habet, quo possit exercitator singulorum cædibus, deinde in exitiâ gentium serpere, & iniicere rectis ignem; atratum vetustis vrbibus inducere, potentiam putat: & vnum occidi, aut alterum, patum imperatorum credit: nisi eodem tempore grex miserorum subiectus stetit, crudelitatem suam in ordinem coactam putat. Felicitas illa, multis salutem dare, & ad vitam ab ipsa morte retroucare, & misereri clementia ciuicam. Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchritusque est, quam illa corona. OB CIVES SERVATOS. Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Hæc diuina potentia est, gregatim ac publicè seruare: multos autem occidere, & indiscretos, incendijs ac ruinæ potentia est.

LIBER SECUNDVS.

CAPVT I.

T de clementia scriberem, Nero Cæsar, una me vox tua maximè compulit: quam ego non sine admiratione, & cum discretur, audisse memini: & deinde alijs

narrasse. Vocem generosam, magni animi, magna lenitatis: quæ non composita, nec alienis auribus data, subito erupit, sed bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medium adduxit. Animaduersus in latrones duos Burrius præfectus tuus, vir egregius, & tibi principi natus, exigebat à te, scriberes, in quos & ex qua causa animaduerterelles. hoc sèpe dilatum, ut aliquando fieret, instabat. Invitus invito cum chartam protulisset, tradaretque, exclamasti: Vellem nescire litteras. O dignam vocem, quam audirent omnes gentes quæ Romanum imperium incolunt, quæque iuxta iacent dubiæ libertatis, quæque se contra vitibus aut animis attollunt. O vocem in concionem omnium mortalium mittendam, in cuius verba príncipes regesque iurent. O vocem priscæ generis humani innocenzia, dignam cui redderetur antiquum illud sacrum. Nunc profecto confertire decebat ad æquum bonumque, expulsa alieni cupiditate, ex qua omnia animi malum oritur: pietatem, integratatemque cum fide ac modestia surgere: & virtutis diuturno abusa regno, tandem felici ac puro seculo dare locum.

CAP. II. FVTVRVM hoc Cæsar ex magna parte sperare & confiteri liber. Tradetur ista animi tui mansuetudo, diffundeturque paulatim per omne imperij corpus, & cuncta in similitudinem tui formabuntur. A capite bona valetudo. Inde omnia vegeta sunt atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorum viger aut marceret. Et erunt ciues, erunt socij digni, hac bonitate: & in totum orbem recti mores reuertentur. Parcetur vbiique manibus. Diutius me morari hic patere, non vt blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos est. Maluerim veris offendere, quam placere adulando. Quid ergo est, propter quod bene factis dictisque tuis, quam familiarissimum esse te cupio? vt quod nunc natura & impetus est, fiat iudicium. Illud mecum considero, multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam peruenisse, celebresque vulgo ferri: vt illam, Oderint, dum metuant. Cui Græcus versus similis est, qui se mortuo terram misceri ignibus iubet, & alia huius notæ. Ac nescio quomodo ingenia immania & inuisa materia fecundiori expresserunt sensus vehementes & concitatos. Nullam adhuc vocem audiui

dini ex bono lenique animosam. Quid ergo est? Ut raro intutus, & cum magna cunctatione, ita aliquando scribas necesse est istud quod tibi in odium litteras adduxit: sed, sicut facis, cum magna cunctatione, cum multis dilatationibus

CAP. III. ET ne forte decipiat nos speciosum clementia nomen & in contrarium aliquando abducat, videamus quid sit clementia, qualisque sit & quos fines habeat. Clementia est temperantia animi, in potestate vlciscendi; vel, lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis. Plures proponere est tutius: ne vna definitio parum rem comprehendat: & ut ita dicam, formula excidat. Itaque dici potest & inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Illa finitio contradictiones inueniet, quamvis maxime ad verum accedat, si dixerimus, clementiam esse moderationem, aliquid ex merita ac debita pœna remittentem, reclamabitur, nullam virtutem quicquam minus debito facere. Atqui hoc omnes intelligent, clementiam esse, quæ se flectit citra id quod merito constitui posset. Huic contrariam imperiti putant severitatem: sed nulla virtus virtuti contraria est.

CAP. IV. QVID ergo opponitur clementia? Crudelitas: quæ nihil aliud est, quam atrocitas animi in exigendis pœnis. Sed quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen sunt, tanquam qui ignotos homines & obuios non in compendium, sed occidendi causa occidunt. Nec interficere contenti sœvunt; ut Sinis ille & Procrustes, & piratae, qui captos verberant, & in ignem vitios imponuat. Hæc crudelitas quidem: sed quia nec vltionem sequitur (non enim læsa est) nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecessit crimen) extra definitionem nostram cadit: quæ finitio continebit in exigendis pœnis intemperantiam animi. Possimus dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati sœvitia est: possimus insaniam vocare, nam varia sunt genera eius, & nullum certius, quam quod in cædes hominum & laniationes peruenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalari, quem aiunt non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum sœuisse. Possimus effugere cavillationem,

& ita finire, ut sit crudelitas, inclinatio animi ad asperiora, Hanc clementia repellit longius à se: nam cum severitate illi conuenire, certum est. Ad rem pertinet, querere hoc loco, quid sit misericordia. Plerique enim ut virtutem eam laudant, & bonum hominum vocant misericordem. Hæc autem vitium animi est. Vtraque circa severitatem circa que clementiam posita sunt: quæ vitare debemus, ne per speciem severitatis in crudelitatem, neve per speciem clementiae in misericordiam incidamus. In hoc leuiore peticulo erratur, sed par error est à vero recedentium.

CAP.V. ERGO quemadmodum religio deos colit, supersticio violat: ita clementiam mansueruditatemq; omnes homini præstabunt, misericordiam autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi ad speciem alienorum malorum succidentis. Itaque pessimo cuique familiarissima est. Anus & mulierculæ sunt, quæ lacrymis nocent sismotum mouentur, quæ si licet, carcere effingerent. Misericordia non cauam, sed fortunam spectat; clementia rationi accedit. Scio male audire apud imperitos sectam Stoicorum, tanquam nimis duram, & maxime principib; regibusq; bonum daturam consilium. Obiicitur enim illi, quod sapientem negat miseriari, negat ignoroscere. Hæc si per se ponantur, iniusta sunt. Videntur enim nullam spem relinquere humanis erroribus, sed omnia delicta ad peccatum deducere. Quod si est, quid hac secta djius, quæ decidere humanitatem iubet, portumque aduersus fortunam certissimum, mutuo auxilio cludit? Sed nulla secta benignior leniorisque est, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentioni: ut propositum sit ysi esse aut auxilio, nec sibi tantum, sed tñuiversi singuli que confulere. Misericordia est ægritudo animi ob alienarum miseriariarum speciem: aut tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immetentibus credit. Ægritudo autem in sapientem virum non cadit. Serena enim eius mens est, nec quicquam incidere potest quod illum obducat. Nihil æquem hominem, quam magnus animus decet. Non potest autem magnus esse idē, si metus & moxor contundit, si mentem obducit & contrahit. Hoc sapienti ne in suis quidem accidet calamitatibus, sed omnem fortunæ iram reuerberabit & ante se franget; eandem semper faciem scrupulam placidam & inconcussam: quod facere non posset;

posset, si tristitia recipere. Adiice, quod sapiens prouidus est, & in expedito consilium habet. Nunquam autem liquidum sincerumque ex turbido venit. Tristitia enim in-
habilis est ad dispiciendas res, utilia ex cogitanda, pericula-
sa vitanda, aqua aestimanda. Ego non miseretur, quia est
sine miseria. Ceterum omnia, quae qui miserentur, dolentes
facerent, hic libens & alacri animo faciet.

C A P. VI. S U C C V R R E T alienis lacrymis, non accedet;
dabit manum naufragio, exuli hospitium, egenti stipem,
non hauc contumeliosam, qua pars maior horum, qui se
misericordes videri volunt, abicit & fastidit quos adi-
uat, contingue ab his timet: sed ut homo homini ex
communi dabit. Donabit lacrymis maternis filium, & cas-
thenas solo iubebit, & lodo eximes, & cadaver etiam no-
xiuum sepeliet. At faciet illa tranquilla mente, vultu suo.
Ergo non miseretur sapiens, sed succurret, sed proderit,
in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo
dabit cuique partem: etiam ad calamitosos pro portione,
improbundos, & emendandos honestatem suam permittet.
Afflctis vero, & fortius laborantibus multo libentius
subueniet. Quotiens poterit, fortuna intercedet. Vbi e-
nim opibus potius retinet, aut viribus, quam ad restituenda
qua causis impulit? Vultum quidem non deiiciet, nec
animum, ad aures cantis crois aut pannosi aridam faciem &
obnixam baculo senectutem: ceterum omnibus dignis
proderit, & decorum more calamitosos propitius respiciet.
Misericordia vicina est miseria: habet enim aliquid, tra-
hitque ex ea. Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam
lippitudinem & ipsi suffunduntur: tam mehercule, quam
morbum esse non hilariatem, semper arridere ridenti-
bus, & ad omnium oscitationem ipsum quoque os didu-
cere. Misericordia vitium est animorum, nimis miseriæ
fauentium: quam si quis a sapiente exigat, prope est, ut la-
mentationem exigat, & in aliis funeribus gemitus. At
quare non ignoscat, dicam. Constituamus nunc quoque,
quid sit *venia*, ut sciamus dari illam a sapiente non debere.
Venia est pena meritorum remissio. Hanc sapiens quare non
debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propo-
situs est.

C A P. VII. Ego ut breuiter tanquam in alieno iudicio

dicam, ei cognoscitur qui puniri debuit. Sapiens autem nihil facit quod non debet, nihil prætermittit quod debet. Itaque poenam quam exigere debet, non donat: sed illud quod ex venia consequi vis: honestiore tibi via tribuit. Parcit enim sapiens, consultit & corrigit. Idem facit, quod si ignorceret, nec cognoscit: quoniam qui cognoscit, fatetur aliquid se, quod fieri debuit, omisisse. Aliquem verbis tantum adinonebit, pena non afficiet, ætatem eius emendabilem intuens. Aliquem inuidia criminis manifestè laborantem, iubebit incolorem esse: quia deceptus est, quia per vinum lapsus. Hostes dimittere saluos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis, pro fide, pro fœdere, pro libertate in bellum accincti sunt. Hæc omnia non venia, sed clementiae opera sunt. Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula: sed ex æquo & bono iudicat. Et absoluere illi licet & quanti vult, estimate litem. Nihil ex his facit, tanquam iusto minus fecerit, sed tanquam id quod constituit, iustissimum sit. Ignoscere autem est, quæ iudicas punienda, non punire. Venia, debitæ pena remissio est. Clementia hoc primum præstat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronuntiet. Plenior est ergo quam venia & honestior. De verbo (ut mea fert opinio) controversia est: de re quidem conuenit. Sapiens multa remittet, multis parum faci, sed sanabilis ingenij seruabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas procerasque arbores colunt, sed illis quoque quas aliqua depravauit causa, adminicula quibus regantur, applicant; Alias circumcidunt, ne proceditatem rami premant: Quasdam infirmas vitio loci, nuerint: Quibusdam aliena umbra laborantibus cælum aperiunt. Secundum hæc videbit perfectus sapiens, quod ingenium qua ratione tractandum sit, quo modo in rectum prava flectantur.

MULTA
PESVNT.